

1691.

1. Ernesti, Joh. Mennius : De non indigna principibus
delectatione ab artibus mechanicis petita.
2. Fellerus, Fridericus : Viriustatis : De praelectis Kalendaris
[cui historia oritur et progressus Collegii historici Imp. sac.
cinche promissa et cinerea est.]
3. Herkusius, Antonius Guentherus : Juris naturae ac gentium
summa capita in officiis humanis ad M. T. Ciceronis
officiis lib. I. Capp. 16. ~~et~~
4. Huebner, Joh. : De dilemmatibus politicorum.
5. ~~et~~ Pfligius, Gotthardus Michaelis : De vidua usq. dum
ipsi subripit, ea mariti bonis sustentanda.
3. Script. 1691. n. 1743
6. Ortelobius, Joh. Fridericus : Exercitium anat. phys. in
integrum $\chi\alpha\theta\eta\pi\alpha\upsilon\sigma\eta\sigma\iota\varsigma$ negotium examinans. rip
med. Lipsiae 1691.
7. Redel, Cornelius Ruders : De obligatione juramenti dolori.
8. Redel, Cornelius Ruders : Num electio magistratus melior
sit successione?

1691.

8. Riedel, Carolus Rudolphus: *Utrum Electio magistratus
melius sit successione?*
9. Schacher, Johann Christoph: *Utrum in contrahendo vel
negotians aliquem circa pretium in se dimidium
sua conscientia laedere liceat?*
10. Schmidtus, Johannes: *De usu carnis humanae
licito.*
11. Schroenten Doerfferus, Bartholomaeus Leonhardus: *De
conservatione vine publicae. 2. Suppl. 1691-1713.*
12. Schroenten Doerfferus, Bartholomaeus Leonhardus: *De
substitutione in vim arresti. 2. Suppl. 1691-1713.*
13. Tilius, Gulbertus Gerhardus: *De putativo contractu liberali.*

DISEPTATIONE ACADEMICA

DE INDIGNA
RECIPIBIS DELE
RATIONE AB ARTIBUS
MECHANICIS PE

Permissu Inclita Facultatis
Philosophice
In Alma Phylurea,

JOHANNICO ERNESTI
MEDICALI

Augustus Gottlieb von Schölerer
Lectur. Math.

LEIPZIG: LUDWIG NEUBAUER



171.
[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.]



Q. D. B. V. 1691, 10 211
EXERCITATIO MORALIS

De

ESU CARNIS

HUMANÆ LICITO,

quam
Amplissimi Collegii Philosophici
Consensu

SUB MODERAMINE

DN. JOHANNIS SCHMIDII,

SS. Theol. Licentiati, Oratoriæ Prof.

Publici, & Collegii Mariani Collegiati
& h. t. Præpositi,

Dn. Patroni ac Præceptoris sui omni

observantiæ & honoris cultu ætatem

prosequendi,

publico eruditorum examini exhibet

AUTOR

Johann Gottlob Tempel/

Burckavia-Lusat.

SS. Th. Stud. & Alumn. Electoral.

Die XXIIIX. Januar. A. O. R. cId Idc XCI.

H. L. Q. C.

L I P S I Æ,

Typis WITTIGAYIANIS.

Le Oeang.

O. D. P. N.
EXERCITATIO MORALIS

DE ESU CARNIS
HUMANAE LICO

Angustissimi Collegii Philosophici
Gordani


DE ESU CARNIS
HUMANAE LICO

Angustissimi Collegii Philosophici
Gordani

Angustissimi Collegii Philosophici
Gordani

Angustissimi Collegii Philosophici
Gordani

Angustissimi Collegii Philosophici
Gordani



JOVA JUVVA!

PRÆFAMEN.



Necessitatem durum esse telum, non nuper demum in Proverbiis locum obtinuit. Nam & Philosophus *Thales* jam suo tempore, quid valentissimum? interrogatus: Necessitatem esse haud dubitavit respondere; quia una (uti dixit) est invicta, apud *Plutarchum Conviv.* p. 483. Huic ne Dii quidem, judice *Platone de Legibus Dialogo* 7. p. 836., resistunt. Et *Callimachus Hymno in Delum* Necessitati hunc Titulum vindicavit: *Ἀναγκάη μεγάλη θεός*, Necessitas ingens est Dea. Haud immerito quoque optimus ille apud gentes morum Magister *Seneca*, l. 4. *Controv.* 27. eam magnum humanæ infelicitatis patrocinium esse dixit. Etenim hæc ipsa est, quæ mortalia pectora nonnunquam ad aliquid faciendum aut patiendum urget, quod alias haud facerent aut paterentur, imò nec facere aut pati licite possent. Hominibus bona à DEO concessa non esse abjicienda, sed legitime usurpanda, rectæ rationis lumen omnibus persuadet; quis tamen Mercatori vitio vertet, si ob præsentissimum naufragii periculum bonorum

norum suorum jacturâ, vitæ usuram redimat. Homi-
nibus multò minùs jus in sua membra esse concessum,
ut illa pro lubitu luxent, mutilent, aut corrumpant, quis
est qui ignorat? Interim tamen ubi membrum aliquod
carcinomate est infectum, & periculum præsentissimum
instat, ab eo reliqua noxam passura esse, recta ratio uti-
que dicitur, membrum illud abscindendum esse, ne cæ-
tera eâdem lue corripiantur, juxta illud Poëtæ:

Ense rescindendum est, ne pars sincera trahatur.

Minimè autem omnium hominibus privatis alium inter-
ficiendi facultatem competere, neminem latere potest.
At tamen si quispiam in eas redigatur angustias, ut Ma-
gistratus aut aliorum ope ab invasore, mortem inferre
parato, liberari nequeat, hunc ab altero è medio tolli
posse, communi doctorum sententiâ comprobatur. Et
his casibus, ubi necessitas vim suam non parum exer-
cet, meritò quoque annumerandus venit ille, quando
homo summâ fame compulsus alterius demortui carnes
in viscera sua recondere non dubitat. De quo factò,
cum specimen aliquod industriæ Academicæ Patronis
esset offerendum, impræsentiarum agere non inconsul-
tum duxi. Ne verò *ἀμέθοδοι* progrediamur, & quod
Scaliger Cardano suo exprobrat, sine cultu, sine ordi-
ne, illiberali discurremus festinatione, certis nos contine-
bimus cancellis, & totum hoc negotium Sectionibus
duabus dabimus expeditum: *Prima* Esus hujus æqui-
tatem ostendet: *Alterâ* verò illius iniquitatem absterget.
Faxit DEUS feliciter!

SECTIO

SECTIO I.

§. I.

Cum leges bonæ Dissertationis exigant, in quæ-
stionis, quæ aut confirmanda aut refutanda proponitur,
genuinum sensum ante omnia inquirere, & quæ ad illam
non spectant, rescindere ac remove, ipse quoque ne in
eas impegisse videar, antequam ad propositæ quæstionis
affirmativam adstruendam me accingam, tria circa illam
præmonenda esse duco.

§. 2.

Primum est, ut, de cuius carnis humanæ esu mihi
in præsentis sit futurus sermo, præmittam. Non enim
propositum mihi est jam inquirere: an hominis adhuc
vivi caro loco cibi adhiberi queat. Neque etiam patrocini-
um in me suscipiam horrendi illius moris apud barba-
ras quasdam gentes frequentati, quo homines vel pieta-
tis declarandæ, vel vindictæ exercendæ, vel famis depel-
lendæ causa, mactari, eorumque cadavera in cibum cede-
re solent. Cujus detestandi esus varia exempla occur-
runt apud veteres pariter ac recentiores scriptores, qui
gentium barbararum ritus atque mores literarum monu-
mentis consignarunt. Nec tandem illius casus evolutio-
nem aggrediar, an scilicet è sociis quibusdam summâ fa-
me pressis, unus sorte electus necari licitè possit, ut carne
illius reliqui ventrem auribus carentem explere queant.
Circa quem rariorem casum malle cum *Dn. Pufendorff.*
de J. N. & G. l. 2. c. 6. §. 3. p. 312. iudicium meum suspende-
re, quàm cum *Dn. Becmanno*, tale quid sub certâ conditi-
one licitè fieri posse, asserere. Ita enim iste in *Doctrina Mo-
ral. cap. 9. p. 156.* *Nobis dicendum videtur, vel incertum esse,
an è periculo evasuri simus, & tunc negandum videri; nam*

A 3

velu-

veluti ob incertum metum non licet alteri vim inferre, ita ob incertam spem quoque alteri injuriam inferri fas non est: vel probabile est, periculo presenti socios evasuros esse, ut in obsidionibus, à quibus obsessi se intra statum tempus liberatum iri sciunt, & tunc affirmandum opinamur; neque enim eadem alterius illi intendunt, sed communem tantum omnium salutem: quam in rem & tutissime sortem eligere possunt, non tamen, quasi universi in necem unius vel quisque etiam in seipsum conspiraverit, id sanè enim sine peccato non esset: sed sortiuntur non in mortem, sed in salutem omnium, & indirectè tantum mors unius inde sequitur, adeoque materiale delicti quidem, sed formale neutiqvam committunt. His igitur omnibus sepositis, de hominis vel secundum communem naturæ ordinem demortui, vel ab hostibus v.g. in obsidione per violentiam è vivis sublatis, mihi in præsentiarum discursus instituetur.

§. 3.

Alterum, quod præmittendum esse judico, tempus ipsum, quo carnis humanæ esum licitum esse propugnabo, respicit. Non enim in mentem mihi venit carnis humanæ comestionem quovis tempore esse concessam, defendere; sed urgente summa necessitate, & quando nihil aliud superest, quo stomachum latrantem demulcere, ac vitam nostram incolumem servare queamus, esum illum licitum esse probare conabor. Nam, ut eleganter Pufendorff. l. c. §. 1. p. 308. loquitur: *In ore omnium versatur vis necessitatis, quod illa lege careat, ac in omnibus humanis institutis semper excepta intelligatur, atque ad multa agenda jus det, quæ citra eam inter vetita habebantur.* Id quod ex exemplis in præfamine adductis satis luculenter apparet. Conf. & Excell. Dn. D. Alberti Dissertationem

tationem de Quæst. Politicâ: Quid Reipublica in casu necessitatis liceat, habitam Lipsiæ A. C. 1669.

§. 4.

Tertium, quod annoto, est: non federe animo, necessitatem talis usus demonstrare, quasi quis summæ necessitatis tempore ad eundem jure naturæ præceptivo obligetur, sed de eo solum fore quæstionem, an jus concessivum homini carnes humanas in extremâ necessitate comedendi facultatem tribuat.

§. 5.

Sed hæc circa Statum Controversiæ paulo curatius dignoscendum præmonuisse sufficiat. Pedem igitur promoveo, & ad Quæstionis ita limitatæ affirmativam adstruendam me accingo.

§. 6.

Primum autem ita colligo: Si extra necessitatem extremam ad morbum curandum licitum est vesci carne humanâ, licitum quoque erit in extremâ necessitate ad mortem præsentissimam depellendam eadem uti. Atque verum est antecedens. E. & consequens. Consequentia majoris nititur illo apud omnes Logicos recepto Canone: Si id inest, quod minus videtur inesse, etiam in erit, quod magis videtur inesse. Nullum autem dubium est, quin minus licitum esse videatur, aliquid extra necessitatis casum, quam illo existente, comedere. Nam, ut in præfamine monitum est, multa propter necessitatem valent, quæ extra illam nullo modo essent valitura. Antecedens autem de facili probari poterit, provocando ad Mumias, quæ sunt carnes corporis humani cum pretiosis unguentis sepultæ, & in sanandis morbis nonnunquam adhiberi solent. Ad quod argumentum excipit *Gregorius de Valentia Tom. 3. Disp. 9. quæst. 1. puncto 1. distinguendo inter*

inter esum carniū humanarū, quō scil. sumuntur per modum cibi, & quō per modum medicamenti. *Sumus*, scribit, *hactenus locuti propriè de esu carniū humanarū, quo scilicet sumuntur per modum cibi. Nam sumere per modum medicamenti, sive in medicamento aliquid carnis humane aliquo modo alteratum, (ut quandoque fit) constat non esse illicitum.* At resp. (a) A diversitate modi sumendi ad diversitatem objecti sumti N. V. C. Posse enim unum idemque & per modum cibi, & per modum medicamenti accipi, in vulgus constat. (b) A diversitate carnis ratione qualitatū, ad diversitatem carnis ratione ipsius essentiæ N. V. C. Licet caro in Mumia à carne alius hominis defuncti qualitatibus multum distingvatur, substantia tamen utrobique eadem est. Alteratio illa interveniens, ad quam provocat *Valentia*, non est tanti roboris ac potentiæ, ut ipsam humanæ carnis substantiam immutare valeat. Hinc non malè *Ferdinandus de Castro Palao Op. Moral. Part. 1. Tract. 2. Disp. 1. punct. 13. num. 5.* ait: *Tota malitia hujus comestionis sita est in indecentia & horrore, quem secum trahit comestio carnis ejusdem naturæ cum comedente. Sed hæc indecentia non obstat, quo minus in medicinam sumatur caro humana unguentis condita, ut contingit in medicamento, quod Medici Mumiam appellant. Ergo neque etiam debet obstare, quo minus sumatur in medicinam urgentis necessitatis, sive caro sit condita, sive non: condimentum enim non videtur variare naturam cibi.*

§. 7.

Secundò argumentor: Si concessum est, sanguinem humanum quandoque bibere, non illicitum profus erit, edere carnes humanas. Atqui verum est prius. E. & posterius. Consequentia Majoris corroboratur iterum Canone quodam Logico: Similium eadem est ratio.
Nam

Nam sanguis inter partes corporis humani æquè ac ipsa caro referri jure meretur. Antecedens probo exemplo epilepticorum, quibus sanguinis humani è decollati trunci fluentis potus indulgetur. Nec obstat, quod Antecedentis nostri veritatem nonnulli in dubium vocare aufint. Sic satis acriter in sanguinis humani potatores debacchantur *Johannes Bruyerinus de re cibaria lib. 2. c. 4. p. m. 92.* inquit: *Hercule illi ex homine ipso sorberi, ex ipsa venâ sectâ calidum adhuc & spirantem (scil. sanguinem) efficacissimum putant. Ego id auxilii Christiano homine indignum existimo: & qui ostenderint, & literis prodiderint, credi possunt oriundi ab Anthropophagis.* Non dissimili admodum stylo in eosdem invehuntur *Fr. Ignatius Thiermairius lib. 1. Consult. Medic. Cap. 1. Tulpius l. 4. observ. Medic. cap. 4. p. 297. Zacutus Lusitanus lib. 3. Prax. Med. Admir. observ. 79. & in primis Thomas Bartholin. de sanguine vetito §. 4. pag. 141. citati in Dissert. sub Moderamine Dn. Præsidis Anno 1687. habitâ.* At his in præsentiarum opposuisse sufficiat (a) Christiani atque officii sui maximè fatagentis Magistratus permissionem, (b) probationum solidarum defectum, in conflictu demonstrandum, (c) longè plurimum ab eruditione non minus quàm pietate commendabilium virorum approbationem.

§. 8.

Tertiùm infero, si licitum est interdum carnem humanam feris & canibus dilaniandam exponere, sequitur & talem homini extremâ urgente necessitate in cibum cedere posse. Atque verum est prius. E. & posterius. Ratio consequentiæ in eo posita est, quod utrobique omnis ratio injuriæ cessare videatur. Prius autem cuilibet, cadavera hominum maleficorum rotis imposita, aut ex furca suspensa sibi in mentem revocanti, satis constare potest.

B

test.

test. Quamvis autem non pauci sint, qui hunc morem à Magistratu etiam Christiano satis frequentatum improbare, ac iniquitatis alicujus infimulare audeant, urgentes, eundem contravenire (a) juri divino, quod *Deut. XXI, 23.* suspensorum corpora in patibulo pernoctare prohibeat. (b) Juri civili, cujus tenore post mortem delinquentis ipsum statim delictum extingvatur. (c) Juris Gentium placito, quod hostibus publicis in bello cæsis sepulturam haud deneget. (d) Moderationi Christianorum, quæ ultra vitam non lævire permittat. (e) Humani corporis dignitati, cui hæc ratione haud satis consulatur. (f) Humanitatis legi, quæ in pœnis ipsis infligendis ante oculos sit habenda. (g) pœnæ fini, cum jam mortui ejus sensu destituantur. (h) autoritatibus prudentum, mortuos haud lacescendos esse, statuentium: omnia hæc tamen tanti non sunt, ut Prioris in argumento adducti veritatem labefactare, ac evertere queant. Id quod per singulas partes eruditè demonstratum dedit *Dn. Daniel Fritschius hodie Vratislaviensis Pastor ad OO. SS. in Disput. Anno 1677. sub Dn. Præsidis præsidio habitâ.*

§. 9.

Ex his in medium allatis tribus argumentis quartum suâ sponte fluere videtur, ut colligere queam: Quicquid suâ naturâ & in se non est turpe, illius usus in casu necessitatis non est illicitus. Atqui comestio de carne defuncti hominis. E. Majoris veritas constare potest ex adductis in Præfamine exemplis. Minor verò ex argumentorum in antecedentibus paragraphis propositorum inspectione claret, & ex rationum, quæ ab adversa parte adducuntur, resolutione clarius patebit.

§. 10. Qvin-

Quintò *Φιλαντία*, è duobus bonis concurrentibus nobilius eligendum esse dictitans, non inefficax mihi suppeditat argumentum. Inde namque *συλλογίζομαι*: Ubi cunque duo bona concurrunt inæqualia, quorum alterutrum est eligendum, ibi recta philantia svadet præstantius esse præferendum. Atqui in præfenti casu concurrunt duo bona inæqualia, unum nobilius, nempe vitæ meæ conservatio, alterum ignobilius scil. cadaveris humani, tabe ac vermibus absumendi, inviolabilitas. E. Majoris veritatem non est ut operosè adstruam, cum illa ipsius luminis naturalis dictamine constet, & à nemine fanæ mentis in dubium facile vocari queat. Conf. Summè-Reverendi *Dn. D. Alberti*, Præceptoris mei nunquam sine reverentia nominandi *Comp. Jur. Nat. part. 2. cap. 2.* At minor videtur esse controversa. Si vel maximè enim quis concedat, hîc concurrere duo bona inæqualia, posset tamen inficias ire ex his duobus, vitæ conservationem esse præstantius bonum cadaveris humani inviolabilitate, ac huic præ illo majorem dignitatem ac præstantiam vindicare, arguendo, conservationem vitæ esse bonum aliquod physicum, inviolabilitatem autem cadaveris humani bonis moralibus debere accenseri, & per consequens illud ab hoc nobilitate antecelli. Verum respondeo (1) ex his seqvi, nec hominem vivum ab alio propriæ vitæ conservandæ gratia unquam violari posse, cum inviolabilitas hominis etiam vivi inter bona moralia procul omni dubio referenda veniat. (2) Distingvo inter conservationem vitæ absq; circumstantiis moralibus spectatam & cum iisdem consideratam: Concedo conservationem priori modo acceptam, bonis physicis sive naturalibus esse annumerandam; posteriori autem modo sum-

tam ad eadem rectè referrì nego. Perinde se hìc res ha-
bet ac cum actu edendi, qvì absolute & citra morales cir-
cumstantias spectatus indubitato ad bona naturalia perti-
net, cum etiam in ipsis brutis, in quæ moralitas Ethica
haud cadit, locum inveniat: at si idem cum circumstan-
tiis ritè se habentibus consideretur, tum omninò bonis
moralibus accensetur. Unde (3) noto, heic vitæ con-
servationem non simpliciter talem, sed nullo alio modo
ac medio obtinendam cum cadaveris humani comestio-
ne conferri.

§. II.

Sexto colligo: Ubicunqve duo præcepta, quibus
simul satisfieri nequit, concurrunt, ibi illud, quod majoris
est obligationis, venit observandum. Atqvi in præsentì
casu duo concurrunt præcepta. E. Major apud omnes
in confesso est, nec in dubium eandem vocat ipse, qvì no-
stræ oppositam sententiam defendit *Azorius Instit. Moral.*
lib. 7. cap. 22. quæst. 4. p. m. 853. inqviens: *Tota hujus contro-*
versie difficultas in eo sita est, cum duo juris naturalis præce-
pta concurrant, videlicet, ut vitam tuam tuearis & serves, &
ne carnibus humanis vescaris, utrum præceptum sit arctioris
vinculi, hoc secundum, an primum. Nam id nos obligabit,
quod est majoris & strictioris vinculi. Minor etiam quoad
hoc satis clara est, quod in præsentì casu, prout à nobis su-
pra fuit formatus, duo præcepta concurrant, quibus si-
mul satisfieri nequit. Sed de eo jam est controversia,
quodnam ex his duobus præceptis strictiore obligatione
alterum superet. Hinc pergit *Azorius l. c. quidam primum*
judicant esse vinculi arctioris, alii secundum. Judico faci-
endum esse cum illis, qvì præceptum, quod vitæ conser-
vationem nobis injungit, alteri, quod comestionem car-
nis humanæ vetat, præferendum esse judicant. Multò
enim

enim probabilius est rationem rectam velle, ut homo, qui magno interdum usui Reipublicæ esse potest, in vitâ conservetur, quàm ut hominis defuncti carni, quæ aliàs tabo diffluit & in cineres resolvitur, parcatur.

§. 12.

Tandem cum ex argumentorum quæ ab adversa parte in medium afferuntur, imbecillitate, meæ sententiæ haud leve robur accedere videatur, ad eandem ostendam absque ulteriori mora jam progrediar. Sit itaque

SECTIO II.

§. I.

Primum argumentum, quod contra sententiam, pro viribus hætenus propugnata, affert *Gregorius de Valentia Tom. 3. Diss. 9. quæst. 3. punct. 1. col. 2141.* improbare conatur esum carnis humanæ, quia per se & intrinsecè sit malus. Ita enim ille: *Vesci carnibus humanis per se & intrinsecè est malum, non minus quàm fornicari, aut coire cum bestiâ, & alia ejusmodi peccata, quæ in nullo casu & ob nullum finem licet committere.* Unde *S. Thomas* qu. 142. art. 4. ad 3. planè æquiparat esum carniū humanarum aliis criminibus bestialibus, & contra naturam, quæ in nullo casu licent. Illa, inquit, vitia, quæ excedunt modum humanæ naturæ, sunt magis exprobrabilia, &c. sicut, inquit, si aliquis delectaretur in comestione carniū humanarum, aut in coitu bestiarum aut masculorum. Respondeo (a) peti id quod est in principio, ac pro certo assumi, quod erat demonstrandum, scil. comestionem carnis humanæ æquè malam esse, ac fornicari, aut cum bestia coire. (b) Thomæ auctoritatem nobis non esse tanti, ut eidem assurgamus. (c) Thomam item non de quolibet esu carnis humanæ loqui, sed de tali qui cum delectatione suscipitur.

B 3

§. 2. Se-

Secundò colligit idem *Valentia l. c.* Si uti humanis carnibus in extremâ necessitate liceret, sæpe id in ejusmodi casibus (ut puta in obsidionibus civitatum &c.) fieret; imò deberet fieri ex præcepto naturali, ad vitam scilicet eo medio (si licitum esset) conservandam, quando aliud non suppeteret. At minimè id fieri consuevit. Et si quando aliquis in tali necessitate humanis carnibus usus est, videmus id factum reprehensum fuisse à sapientibus & horribile judicatum. Id quod dein duplici historia illustrat, quarum primam adducit ex *Joseph. l. 7. de Bello Judaico cap. 8.* de Maria Eleazari Filiâ, quæ occiderit filium, cotumque medium comederit; alterum desumit ex *2. Reg. VI.* de muliere in obsidione Samariæ filium suum mactante ac deglutiente, ad cujus facinus exhorruerit atque vestimenta sciderit Rex Israël. Cum eodem facit *Franciscus à Victoria relectione 9. num. 6. p. 335.* scribens: Si liceret, ergò tenerentur homines in tali necessitate vesci tali carne, consequens videtur falsum, cum nunquam fecerint homines, nec aliquis hætenus consuluerit tempore famis, nec obsidionis, nec aliquis hoc auderet. Consequentia communiter probatur, quia si licet, & non est aliud medium, videtur quod tenerentur. Sed resp. (1) à negatâ existentia facti, ad illegalitatem ejus N. V. C. Non in quæstionem hîc venit, quid in obsidionibus factum fuerit, aut etiamnum fiat, sed quid fieri liceat. Posito, nunquam in obsidionibus carnis humanæ esum obtinuisse, inde tamen non licet colligere, quod ille in se malus sit, nec unquam licitè obtineat. (2) quod si vel maximè demus *Francisco Valentia & Victoria*, si quando casus incideret, quo nihil planè edulii præter humanam carnem superesset, debere quoque urgeri illius esum ad vitam hoc modo conservandam, nihil hoc ipso adhuc nostræ decederet sententiæ. (3) neque firmum

mum robur puto inesse isti Consequentia: hoc vel illud tempore necessitatis mihi facere licet, ergo ad illud ipsum faciendum jure stricto teneor. Sic pedem integrum carcinomate infectum à corpore separare licet, ad illius tamen abscissionem perpetiendam nemo jure stricto tenetur, cum incertum sit, an per ejusmodi separationem vitæ suæ satis prospiciat, ac mortis periculum evitet. (4) Ad exemplum ex Josepho adductum respondeo cum *Lessio l. 4. de virtutibus cardinalibus c. 3. dub. 2. p. 744.* inq̄uiente: *Factum illius mulieris visum valdè horribile, non quia cadaver hominis per se mortui comederat; sed quia oblita maternæ pietatis, proprium filium, ut comederet, occiderat, & re ipsâ jam medium devoraverat.* Quod ipsum etiam ad alterum ex sacra historia allegatum exemplum reponi poterit.

§. 3.

Tertiò nonnulli jus sepulturæ urgent, quod ne hosti quidem sit denegandum. Huc spectant verba *Azoriz l. c. Aut is, qui extrema inediâ premitur, ad manum habet carnes eorum, qui in prælio occubuerunt, aut nullas habet, nisi quis ejus alendi causa occidatur.* Si primum, inq̄uunt, vesci carnibus humanis nefas non est. Si secundum, nefas est: nec enim fas est, insontes, vel alios quoslibet, necare, ne tu fame pereas: at verò licitum est eorum cadavera in cibum humanum assumere, qui adverso prælio occiderunt, si ad extremam inediâ adigamur. Sed neque hoc satis perspicuum, & certum est: nam etiam cadaveribus eorum, qui bello perierunt, sunt sepulturæ jura tribuenda. Sed respondeo paucis, sepulturæ honorem ipsis hostibus aliàs debitum vitæ conservationi jure haud posse præferri.

§. 4.

Quartò immanitatis alicujus esum hunc ipsum insimulant. Vide *Victoriam l. c. p. 335.* At respondeo (a) multa

multa prima specie aliquam crudelitatem præ se ferre videntur, quæ tamen paulò curatiùs considerata eandem exuunt. Sic unum vel alterum supplicii genus fatis crudele apparet, reipsâ tamen non est. (b) Nego hunc esum crudelitatis rectè argui. Cum enim, ut supra in Sect. I. demonstratum fuit, idem à rectâ ratione non fit alienus, nec crudelitatis jure accusari potest.

§. 5.

Quintò contra dignitatem quoque corporum defunctorum esse nonnullis videtur, si in stomachum absumentur demittantur. At verò respondeo (a) hominis vitam defuncti carne multò præstantiorem, ei que magis quam huic consulendam esse. (b) Mea hic facio verba *Toleti Instit. Sacerdot. ac pœn. l. 8. c. 9. p. 796.* asserentis: *In tali casu non inhonoratur natura humana, sed potius videtur honorari, quando assumitur emortua, ut altera è morte liberetur.*

§. 6.

Sexto nonnulli illegitimum hunc esum inde esse volunt, quod ipsa Natura eundem averfari videatur. Sed respondeo (1) abscissionem membri alicujus ipsa quoque Natura averfatur, nec tamen est illicita. Sic & mortis pœnam à Magistratu inferendam averfatur natura, injustitiæ tamen quis eam accusabit? (2) horror ille tam miserandi cibi, ut eleganter eundem appellat *Dn. Pufendorff. de J. N. & G. Lib. II. cap. 6. num. 3. p. 312.* à mortis horrore quandoque superatur: quod nec latuit *Ferdinandum de Castro Palao l. c.* scribentem: *horror insitus in comestione carnis humana honestari satis videtur extrema necessitate & horrore mortis, horror enim mortis alium horrorem vincit, magis enim durum, & horridum apparet te velle morti tradere, & fame perire, cum facile possis vitare, quam horridum sit vesci carnibus, quæ feris, & avibus comedenda relinquuntur.*

§. 7.

Potioribus sic argumentis, quæ à Scholasticis afferri solent, dilutis, finem nostro labori imponimus, ac DEO æternas gratias nuncupamus.

•§]![o]![•






Leipzig, Diss., 1691

X 237.3099

VD17







Q. D. B. V. 1691, 10 211

EXERCITATIO MORALIS

De

U CARNIS

IUMANÆ LICITO,

quam
plisimi Collegii Philosophici
Consensu

SUB MODERAMINE

OHANNIS SCHMIDII,

heol. Licentiati, Oratoriæ Prof.
ublici, & Collegii Mariani Collegiati
& h. t. Præpositi,

Patroni ac Præceptoris sui omni
bservantiæ & honoris cultu ætatem
prosequendi,
ublico eruditorum examini exhibet

AUTOR

ohann Gottlob Hempel/
Burckavia-Lusat.

SS. Th. Stud. & Alumn. Electoral.

XIIX. Januar. A. O. R. c. l. o. l. o. c. XCI.
H. L. Q. C.

LIPSIÆ,
Typis WITTIGAYIANIS.

66.
M
M

Z

Le Oeuvr.

70

